

SCRIPTA

Numéro Scripta : 6541

Autre(s) référence(s) : Bates 215

Auteur(s) : Robert, Mortain (comte)

Bénéficiaire(s) : Mortain, Saint-Évroult (église)

Genre d'acte : notice

Authenticité : non suspect

Datation : 1082

Action juridique : fondation

Langue du texte : latin

Analyse

Notice relatant la fondation de l'église collégiale Saint-Évroult de Mortain par Robert, comte de Mortain et sa femme Mathilde accordée par le roi Guillaume [Ier] et les premières donations à cette église.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Desroches Jean-Jacques, *Annales religieuses de l'Avranchin (3e partie)* 3e partie : Commanderie de Villedieu-les-Poêles (templiers puis Ordre de Saint-Jean-de-Jérusalem) ; collégiale et prieuré de Saint-Évroult de Mortain, *Mémoires de la Société des antiquaires de Normandie*, 1849, p. 332-337.
- b. Boussard Jacques, *Le comté de Mortain au XIe siècle, Le Moyen Age*, 1952, p. 258-268.
- c. Pouëssel Jean, *Les structures militaires du Comté de Mortain (XIe et XIIe siècles)*, *Revue de l'Avranchin et du pays de Granville*, 1981, p. 129-134.
- d. Bates David, *Regesta Regum Anglo-Normannorum*, the Acta of William I (1066-1087), Oxford, Clarendon Press, 1998, n° 215, p. 676-685.

Indications

Davis Henry William Carles, *Regesta Regum Anglo-Normannorum, 1066-1154*, vol.1, *Regesta Willelmi Conquestoris et Willelmi Rifi*, 1066-1100, Oxford, Clarendon Press, 1913, n° 159.

Dissertation critique

Datation proposée par D. Bates (voir BATES, *Regesta Regum Anglo-Normannorum*, p. 680).

Texte établi d'après d

Anno ab incarnatione Domini millesimo LXXX^o II^o, regnante Willermo rege Anglorum et duce Normannorum, Robertus comes Mortennensis cum Matildi comitissa uxore eius, divina gratia inspirante, ecclesiam novam in castro Moretonii in honore Dei et Sancti Ebrulfi confessoris construxit, et in ea canonicatum de propriis et baronum suorum possessionibus et elemosinis instituit, Willermi regis cuius ipse frater erat et eorumdem baronum assensu, et Michaelis Abrincensis episcopi confirmatione, pro salute animarum suarum et Willermi regis et antecessorum et heredum suorum. In eadem igitur ecclesia decanatum preficiens, sicut institutio deposita canonica, ad decanatus honorem hec subscripta donavit : in teloneo Moretonii, c solidos cenomannensium ; in molendinis propriis Moretonii x et vii quarterios frumenti et veteres molas ; decimam quoque censum et furnorum Moretonii et

decimam ferie Sancti Hylarii, et dimidiam decimam ferie Sancti Paterni, et dimidiam decimam ferie de Gatemon, et decimam ferie ad Bium, et tantum de feria ad Moretonium quantum monachi Sancte Marie habent de decima eiusdem, et decimam vinee et virgultorum suorum de Moretonio, et ecclesiam Sancti Bartholomei cum decima totius ville et molendinum cum moltura dominici sui de Busco comitis, et Monte Faltrelli et terram de Busco comitis ; apud Cerentias, decimam thelonae et molendini et anguillarum, et decimam foreste de Esquileyo et decimam castanearie et vacciarum et porcariarum, duas partes decime villanorum et capellam de Esquileio cum decima dominiorum, et decimam molendini de Lingrevilla, et xl solidos Rothomagensium in feria Montis Martini annuatim. Addidit preterea Willermus comes ad decanatum in thelonio Tellioli xl solidos cenomannensium, et in eodem castro iii burgenses et quicquid comes in eis habebat, et medietatem duum molendinorum cum moltura Tellioli, et in Grangerio et in Manchon lx acras terre ad perticam comitis de dominio, et feriam de Juvineio, et ecclesiam Yvrande cum feudo sacerdotis in excambium ecclesie sancti Hylarii de Novo Burgo quam prius decanus habuit, et in Novo Burgo burgensem unum cum mansura sua, et iii mansuras in parrochia de Fago Matildis. Domus quoque decani ad decanatum pertinet.

Ad instaurandum etiam in eadem ecclesia cantoris honorem, prefato comite Roberto hoc impetrante, assensu quoque Michaelis Abrincensis episcopi, Robertus de Cuvis et Radulphus filius suus concederunt ecclesiam Cuvarum cum terra elemosine et tota decima eiusdem ville, messium, censuum, furnorum, fori, ferie, molendini, piscine, pasnagii, et ecclesiam sancti Laurentii cum capella, et cimiteriis, et terra elemosine, et tota decima ville et molendini, et sexies xx acras terre in elemosine liberas. Ut autem e[lemosine iste ab eorum dominio et] omni consuetudine in manu et defensione prefati comitis et successorum libere remanent, dedit eis comes xxx et ii libras cenomannensium et unum meterarium de dominio suo in Molinis, et statonem quam Radulphus annuatim apud Moretonium debebat per duos annos ei dimisit.

His honoribus constitutis, alias in eadem ecclesia comes idem instauravit prebendas. In unam igitur earum dedit ecclesiam Sancti Clementi cum toto heremo et cum v acris terre hinc et illinc, et pasturam quatuor vaccarum, et decimam totius parrochie et ferie et vacciarum et bergariarum ; et decimam totius Lande Putride, bladi, pasnagii, pasturagii, excepta decima placitorum et decima venationis et acciptrum que est episcopi Abrincensis ; et in Gerno decimam totius dominii sui, cuicunque tradatur, duas garbas et decimam virgulti, totam preter decimam placitorum et theloni, et terram Garnerii filii A[r]nulfi, preter eam que est in foresta ; et in Bion xl acras terre ; apud Telliolum, decimam feriarum et furnorum et medietatis duum molendinorum et totam decimam virgulti et vinee, et duas partes decime dominii totius Tellioli, cuicunque tradatur, et Grangerii et Manchon ; apud Goerannum medietatem ecclesie sancti Martini, et dimidiam parrochie, et decimam thelonae et censum et furni et molendini eiusdem castri. Ad aliam quoque prebendam dedit idem comes in thelonio Condeti c solidos rothomagensium et decimas omnium que ibi in dominio habebat, decimam scilicet ferie, furnorum, pasnagii, piscine, et ceterorum proventuum de quibus decime debent et possunt dari ; et decimam molendini de Vallibus ; et decimam dominii quod apud Proceium habebat et in vacariis et in bergariis. Dedit etiam Ranulfus Avenellus ad eandem prebendam in territorio eodem xl et v acras terre. Addidit preterea Willelmus comes decimam dimidie ferie de Inter Montes ; Ricardus quoque Silvanus in Maisnil Gileberti xl acras terre.

Instituit aliam insuper comes prenominatus prebendam et concessit in eam ecclesias omnes Tenerchebrarii, integre cum decimis, et terra elemosine, et decimam ferie et foreste et pasnagii et molendinorum et furnorum, et lx solidos rothomagensium annuatim in thelonio ; et ad Barram terram que est inter duas aquas ; et in Cavennoliis duas acras terre ; apud Pomeriam dedit Theodericus eidem terram quam ibi tenebat. Unfredus quoque qui prior canonicus eiusdem prebende fuit, dedit in eam dimidiam terram patrimonii sui apud Sanctum Dyonisium, Gifardo terre illius domino concedente. Ursio etiam de Tuscheto et mater eius ad unius institutionem prebende dederunt lx acras terre in Tuscheto citra Segunnam, comite Roberto impetrante, et Hugone eorum domino concedente et donante ad hoc idem xxiii acras terre ultra Segunnam. Item precibus quoque et assensu prefati comitis Roberti ad prebendam aliam instaurandam, Unfredus de Campo Ernulfi dedit ecclesiam sancti Petri iuxta Tenerchebrarum cum tota decima ad eam pertinente, et cc acras terre in territorio parrochie quod dicitur Spisse. Addidit etiam Radulfus Valis Torte xl acras terre apud Sanctum Salvatorem. Nigellus de Munnevilla dedit xl acras terre et decimam telonei eiusdem ville apud Mesuncellas. Willelmus de Campo Hernulfi ad eandem prebendam concessit decimam molendini, et decimam lane et caseorum de bergariis suis, et decimam nemoris.

Comes idem Robertus aliam addens prebendam in eam concessit ecclesiam Montineii cum terra elemosine, et decimam molendini, et decimam totius ville de omnibus unde recta decima debet dari, et xl acras terre.

Ad aliam quoque prebendam comes idem concessit ecclesiam Maisnilli Gilleberti cum terra elemosine, et terram presbiterii, et decimam molendini et totius ville, et omnium que ad decimam pertinent. Et in eadem villa Willelmus

vicecomes dedit eidem prebende cc et xl acras terre. Hugo quoque de Diva dedit in eandem prebendam terram Pislonis a Canciolo de sub Rupe Hermenfredi per Montem Acutum usque ad terram Osberni Rifi, comitis assensu et Radulphi Filgeriarum a quo ipse tenebat. Una etiam domus in qua canonicus manet eiusdem prebende est, comitis ipsius dono.

Instituit aliam ad officium matricularis eiusdem ecclesie comes idem prebendam, et dedit ei xx solidos cenomannensium annuatim in teloneo Moretonii, quos postea in redditu suo Cerentiarum annis singulis haberi precepit. Dedit etiam ad Sanctum Bartholomeum xxiiii acras terre, et in Cavennoliis xx, et in Bion iii.

Terram quoque Lamde quam Lambertus capellanus a Roberto comite in elemosinam tenebat in plano et in bosco, ipse comes in unius prebende constitutionem concessit, Mainguidi de Vireio assensu, qui eam calumpniabatur. Postea vero, ad eiusdem prebende augmentum, idem Mainguidus dedit in Vireio iuxta Lamdam tantumdem terre sue advalens quantum terra de Lamda valebat, et in Buadesio dedit duas partes decime omnium dominiorum suorum et plaisirum suum, et iuxta illud xl acras terre de dominio suo.

Ricardus etiam de Surda Valle, consilio et assensu comitis Roberti, ad alterius institutionem prebende dedit medietatem ville Fracini cum ecclesia et decima totius ville et dimidium molendinum et quartem partem foreste. Aliam vero quartam partem Ricardus Rufus eiusdem prebende canonicus a Roberto pincerna emit, concedente uxore illius et filiis, et sic in prebenda dimidia foresta remansit.

Norgodus quoque de patrimonio suo quod apud Moretonium habebat alteram, precibus et assensu comitis Roberti, instauravit prebendam. Postea vero, quia totum illud prefatus comes ecclesie sancte Marie et monachis Maioris Monasterii dedit, pro excambio eius concessit ad eadem prebendam in Rufevilla sexies xx acras terre de dominio suo, et unum molendinum, et apud Moretonium in redditu furnorum suorum xx solidos cenomannensium.

Consilio quoque et assensu prenominati comitis, ad unius instaurationem prebende dedit Guillelmus vicecomes ecclesiam de Heucon cum decima parrochie totius et decimam molendini et xxx acras terre in eadem villa, Rogero de Heucon concedente. Idem vero Rogerus dedit supradicte prebende ecclesiam Basolche cum terra elemosine et decima totius ville.

Aliam, preter istas, comes Robertus instauravit prebendam, concedens in eam ecclesiam de Bion cum terra elemosine et cum decima totius ville. Addidit etiam ad eandem prebendam Gislebertus de Bruecourt medietatem ecclesie de Ronceio, et dimidię decimam eiusdem ville, et ibidem cxx acras terre. Et in Cenillio Gaufridus de [Sae]jo dedit in eandem prebendam xl acras terre.

Willelmus vero comes Moretoniensis de rebus et decimis suis quas in episcopatu Constanciarum habebat unam insuper instauravit prebendam. Dedit itaque in eam apud Bosonisvillam terram Fulconis Villanii ; ibi de tota terra que terragium tunc reddebat duas garbas decime ; similiter de Cherelville ; decimam quoque telonei predictarum villarum, et decimam ferie Bosonisville, et decimam de Marisco, et decimam de Gorgie marisco, et decimam molendini Cherelville ; apud Montsorventum decimam ferie. Dedit quoque decimam foreste de Balceio, et pasnagii, et placitorum, et de omni exitu preter venationem, et in omni territorio foreste quod excultum fuerit, et in hominibus qui ibi manserint decimam et quod ecclesie pertinet ; et decimam de vaccariis suis de Warengebec, de vitulis, de caseis, de porcariis etiam et de apibus, de piscariis Dodville, et de molendino decimam ; et decimam telonei Haie Putei, et decimam molendini quod ibi est ante portam, et decimam lane de bergariis eiusdem castri, et decimam molendini de Both apud Barnevillam ; decimam theloniei, et unius molendini, et census salis, et siccaram, et de duobus molendinis Haie Barneville, et de apibus, et de placitis decimam, et de bergariis, de agnis scilicet, de caseis, de lana, preter decimam agnorum et caseorum unius bergarie quam presbiteri ville habent ; in Barnevilla que est in Algia, unam virgatam terre que dicitur Linaria, et in bosco eiusdem ville decimam pasnagii et decimam sicere et vacarie et porcarie, et de novellis terris que de bosco sunt extirpate decimam, et in terris Sancti Sanconis quod ibi proximum est decimam vinearum et bergarie sue in villa prefata. Hiis honoribus et prebendis a comite Roberto et filio eius Willermo et baronibus eorum institutis hoc modo, postea, sub Stephano comite, iuxta quarumdem ecclesiarum consuetudinem, capituli totius assensu et Turgisi Abricensis episcopi consilio, stabilatum est et confirmatum ut defuncto quolibet Sancti Ebrulfi canonico, redditus totius prebende anno uno in manu capituli ex integro ad agenda ecclesie necessaria remaneret, hereditas quoque et omnis successio ab honoribus et prebendis canonica auctoritate extirpata et sub anathemate perpetuo est abrasa, canonicorum quorumdem et baronum calumpniis ut iustum est pretermisis omnino.

Ad thesaurum ecclesie unde eius necessaria agerentur et consilio capituli tractarentur, dedit comes Robertus annuatim iii libras cenomannensium in teloneo Moretonii ; quarum postea Ix solidos in proprio redditu Constanciarum et xx solidos in redditu Cerentiarum annuatim statuit haberi.

Comes quoque Willermus dedit Sancto Firmato apud Tellolum iiij acras terre. Hec autem acre et omnes supradictarum prebendarum ad perticam comitis date sunt ad augendum etiam lumen ecclesie. Postea Stephanus comes dedit in theloneo Moretonii xv solidos cenomannensium, x solidos ad luminare altaris sancti Nicolai et v solidos ad luminare altaris Sancti Firmati. Angotus etiam coccus et Willermus filius eius dederunt Sancto Ebrulfo mansuram Normanni de Bion. Terram postea virgulti Teoderici emerunt canonici a Rogero decano, cuius pater Stephanus eam ab heredibus antea emerat, et illam Sancto Ebrulfo concesserunt.

Constitutum est a comite Roberto preterea ne in tota valle Moretonii preter scolam Sancti Ebrulf scola aliqua haberetur ; quod si inveniretur alicubi libri a canonicis caperentur de scola et in thesaurum ecclesie ponerentur. Dedit etiam canonicis in commune lx solidos cenomannensium in teloneo Moretonii, in excambium sepulture Sancte Marie quam prius canonici habebant, sed eam postea comes idem Sancte Marie et monachis Maioris Monasterii dedit cum decima a Cancia usque in Clarellum, excepta decima castri inter muros et terre de foresta qui unius est canonici.

Donavit quoque comes Willermus ecclesie Sancti Ebrulfi et in commune canonicorum concessit in Anglia quicquid habebat in manerio de Languefort liberum et quietum, et x libras esterlingorum in theloneo Penevesselli annuatim, Henrico rege Anglorum concedente et confirmante. Robertus etiam filius Guillermi dedit Sancto Ebrulfo et canonicis in commune in Constantino medietatem ecclesie de Apevilla, cum decima feodi comitis Moretonii, et vii acras terre, et quartam partem ecclesie de Gorgis, et i acram terre cum decima feodi sui, et ecclesiam de Novo Maisnillo cum vii acris terre et cum tota decima, comite Stephano concedente.

Ex dono quoque comitis habent canonici annuatim in Landa Putrida unum cervum. Ex eiusdem comitis institutione, ubicumque canonici cum comite fuerint in oblatione sua parciuntur tamquam proprii capellani, decanum vero et cantorem, quando apud Moretonium moraretur, ut proprios capellanos de mensa sua esse constituit matricularem etiam et magistrum scole.

Mansura quoque in qua Malgerius cantor domum suam fecit ex dono comitis Willermi canonicorum est in commune. Concessit etiam comes Robertus quod ad edificationem et opus ecclesie in Landa Putrida, ibi ligna capiantur, ubi ad opus [domus sue] capientur ; ignem quoque ibidem ubi comes canonici capiant, proprios quoque porcos canonicorum et presbiterorum prebendarum et medietariorum suorum a pasnagio liberos et quietos esse concessit.

Hanc autem libertatem comes idem canonicis concessit, ne sine sumonitione decani sui et nisi in capitulo suo in causam ducantur. In hominibus vero prebendarum suarum redditus seculares et forefacturas quas in eis comes habebat, canonicis concessit preter sanguinis vindictam quam ad iusticie sue conservationem retinuit. Omnes vero homines prebendarum per totum honorem Moretonii in Normannia a consuetudine liberos et immunes esse decrevit et ne eos vel eorum primogenitos milites retinere possent instituit. Omnia vero prebendarum et hominum earumdem iusticiam ita sibi proprie comes ipse retinuit, quod quicumque illis iniuriam vel dampnum intulerit tanquam de iniuria et dampno comitis coram illo vel iusticia sua apud Moretonium, iusticia inde teneatur. Hanc igitur ecclesiam cum honoribus et prebendis et aliis elemosinis et libertatibus suis a comite Roberto, Willermi regis Anglorum fratre, et a comite Willermo eius filio, et a baronibus eorum in hunc modum fundatam, libertate etiam a sinodo et ab omni consuetudine episcopali concessa, excepto hoc quod duo canonici sinodo debent interesse et capellanus a civitate Abrincarum sanctum Crisma deferre debet et interdictum episcopale debet capitulum suscipere ab archidiaconis vel decanis, dedicaverunt Willermus Rothomagensis archiepiscopus et Michael Abrincensis episcopus et Odo Baiocensis episcopus et Gaufridus episcopus Constanciensis et Gillebertus Lexoviensis episcopus. Quoniam autem Michael Abrincensis episcopus hanc libertatem consilio archiepiscopi et episcoporum supranominatorum, et rogatu Willermi regis Anglorum et ducis Normannorum et baronum ecclesie integrum concessit, comes Robertus concessit ei dimidia placita episcopalia que tunc illis erant communia et decimam venationis Lande Putride et acciptrum et unum cervum annuatim in Landa Putrida. Harum autem elemosinarum et libertatis violatores sive diminutores vel destructores archiepiscopus Willermus et ceteri episcopi anathemati perpetuo subiecerunt.

Signum Willermi regis. Signum Roberti comitis. Signum Matildis comitisse. Signum comitis Willermi. Signum comitis Rogeri de Bellomonte. Signum comitis Rogeri. Signum Willermi archiepiscopi. Signum Odonis Baiocensis episcopi. Signum Michaelis Abrincensis episcopi. Signum Gaufridi Constanciensis episcopi. Gilleberti Lexoviensis episcopi signum.